



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento Selectæ

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

LI. Clades Helis Pontificis, ejúsque filior[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

DEO, inspirato, mortis pro salute publica, Numinisque honore fortiter contemptæ, virtutis arduæ strenuè probatæ, vindictæ de hostibus iustissimè sumptæ, gloriosam æternamque memoriam promeritum, suò, ut Ambrosius loquitur, triumphò tectum, tumulatúmque fuisse. Occidit ætatis anno trigesimonono, Præturæ vicesimo. Corpus à cognatis, cum bona Gazæorum, graviora mentuentium, veniâ, avito sepulchro illatum est.

NARRATIO LI.

CLADESHELIS, PONTIFICIS ET PRÆTORIS HEBRÆI, EIUSQUE FILIORUM, JUDÆORUM, PHILISTÆORUM.

Lib. I. Reg. cap. 2. 4. 5. Anno Mundi 2907.
2939. Ante Chr. 1146. 1114.

Licentior filiorum educatio, & disciplinæ neglectus parentes facit authores non vitæ sed mortis. In Hebræorum Judiciaria Præfectura Samsoni successit *Helis*, Pontifex supremus, primus ex *Ithamaris*, qui frater erat *Aaronis*, familia. Fuerunt ei filij duo *Ophnis* & *Phineas*, paterni Pontificatus, (quia deflexis in senium annis, ipse minùs ad omnia Sacerdotij supremi munia vigeat) officijque Sacerdotalis adjutores; homines improbi, & Sacrorum ignorantes; qui & multitudinem, *Silunte* seu *Silo* (urbe, in altissimo monte sita, haud amplius octo pas-

passuum millibus Jerosolymis distante, ubi tunc Arca religiosè asservabatur, ac circumpositum Arca, Tabernaculum, Mosis è præscripto fabrefactum) vota nuncupantium, quæque nuncupaverant, Sacrificijs exsolventium multum imminuebant; nam & per ingluviem suam, ac impudentem gastrimargiam, adipem victimæ, Numini adolendam, & quid electissimum erat ex hostiis in frustra concisis, & incoctis, præripiebant, contra ritus, fasque Sacrificiorum. Quorum idcirco dignitas & æstimatio sensim jacebat apud Hebræos, & Siluntis religio flaccescebat. Accessit alterum nefas, fæda libidinum impuritas, pertractis in flagitium cum ceteris mulieribus, illic vota exsolventibus; tum virginibus, viduisque, Divinorum cultui consecratis.

Non latuerunt acta filiorum tam infanda patrem; quos pro nimia indulgentia satis habuit submonuisse muneris Sacerdotalis; cum severiùs castigare, & refractarios exauctorare Sacrorum ministerijs debuisset, id quod ei per Samuelem etiamnum adolescentem, (de quo postea) jussu DEI, graviter exprobratum, adjunctæque cladium minæ, ad aurium usque tinnitum formidandæ. Nec diu post Divinæ rigor sententiæ Philisthinos excitavit, ut collatis, cum Hebræis signis, Israëlitarum quatuor circiter milia ceciderint, reliquo se exercitu trepidè recipiente in castra. Habitò deinde militari consiliò, quidnam esset insolitæ rei, quòd plus valuisset eo die, divinisin oculis impietas Philisthina, quàm Hebræa causa, decernitur mittendum esse Siluntem: accersendam cum custodibus suis Arcam; & hac in medium acceptâ, prælij denuò tentandam fortunam.

Heli

Heli quamvis multum invitò, deque capiendæ periculis sollicitò, denique tamen permittente, devenitur in Hebræa castra, Mosis Arca. Mittuntur unà, qui deducant ac tueantur duo Sacerdotes impuri, Pontificis filij: gladijs & ipsi suis, armisque cincti; sed longè pluribus animi vitijs, ac Tartareis satellitibus stipati. Cæterum, Arcâ Hebræi conspectâ, mox clamoribus animorum testari lætitiâ; Philisthæi contrâ, percussio vicinis è montibus, ac nemoribus, Hebræi clamoris Sonitu, labare, conciderèque mentibus: pavidèque, tam effusæ lætitiæ sciscitari causam: Arcæque præsentia intellectâ, malè de rebus suis ominari.

Recollectis ex ea trepidatione animis, ac viribus, statuunt aleam prælij subire; quippe medium esse nihil, sive Judæis, sive Philisthæis. Aut vincendum alterutris, aut esse serviendum. Iterum igitur in aciem utrinque descenditur. Ab Hebræis in medium agmen *Arca* recipitur: & ad *Arca* latera Sacerdotes ambo fortissimè pugnam cient. Post multum certaminis laborem, insistentibus vi summa Philisthæis, succumbunt Israëlita; *Arca* capitur, & ex hujus captivitate, cunctos desperatione subeunte, deficiunt animis Hebræi, remittunt de pristina contentione; turpiterque tandem in fugam effusi, pars in conflictu, pars sparsim per agros, cadunt; triginta millia pedestrium copiarum.

Pontifex cum audisset infelix prælium, populi numerosam stragem, fugam multitudinis, geminæ prolis interitum, & super hæc omnia, captam *Arcam*, animo simul ac vitali spiritu linquente, cum sella pauper, corporisque decrepiti fragili mole, retrorsum lapsus,

lapsus, ad fores ac postes seu Tabernaculi, seu Urbis Siluntis (in portis enim sedebant Judices) impacto capite cervices fregit, ac finijt.

Ejus victoriæ brevis lætitia fuit Philisthæis, nam dum *Arcam* per oppida, & delubra sua circumductam ostendant, & in Fano Azotio ante statuam Idoli *Dagonis* (erat Simulacrum, superiore parte mulierem referens; inferiore desinens in piscem, specie Nereidum & Sirenum) tanquam victam in oculis victoris constituunt, majorem ab ea captiva, Septimestri spatio cladem acceperunt, quàm à liberâ plurimis annis antè. Dejectum namque loco suo *Dagonis* Simulacrum: nunc in faciem effigie strata: nunc capite, manuúmque palmis abscissis, portendit, quantò suò, cultorúmque suorum malò, illa Hebræi sedes Oraculi, in prædam, inque viciniam venisset. *Azotij* quippe, & accolæ pessimis, pudendisque morbis sunt afflicti; posticæ corporis partes, ulcerum doloribus cruciatæ (ficos & mariscas vocant:) tabe facta viscerum intestina; agri, villæ, penates, murium multitudine repleti, Segetes, fruges, fructus depascentium: pestilitate sævissima, pagi, civitates regiones exhaustæ. Adde his stragem populosissimam *Betsamitarum* (erant hi de gente Hebræa) ac finitimorum; qui fortè metentes in agro triticum, quòd prætervehentem *Arcam*, & ex captivitate Philisthæa, cum donarijs, morborum ac calamitatum piaculis, redeuntem, operimentis renudassent suis, inspicere curiosius ausi; repentina percussu inter necione perierunt septuaginta de viris eminentioribus; quinquaginta verò millia de fæce vulgi. In una clade quot clades involutæ! Has unius Helio

pernici-

perniciōsus in liberos amor inchoavit: protrulit
 ſorum ejus improbitas: præcipitavit in Hebræos ju-
 ra, Philisteosque juſtiſſimus DEI dolor, & indigna-
 tio.

NARRATIO LII.

SAMUELIS PROPHETÆ, ET ULTIMI HEBRÆORUM JUDICIS ORTUS, EDUCATIO, GESTA.

Lib. I. Reg. c. 1. 2. 3. 7. 8. Anno Mundi 2900.
 Ante Chriſtum. 1152.

HElī Pontifice ſimul ac Judice populi, rebus
 mortalibus, in eum, quem ſuperiore narra-
 tione retulimus, modum exemptō; ſubro-
 gatus in divinis Achitōbuſeſt, Helis ex *Phinea* filio, ne-
 pos; in profanis autem, ac civili republica Samuel,
 qui tamen præter Iudiciariæ dignitatis ordinariam
 provinciam, privilegiō beneficii, functus extraordi-
 nario Sacerdotiō, Sacris nonnunquam operabatur.
 Parentem is habuit *Elcanam*, urbis *Ramathæ* incolam,
 virum nobilem & opulentum. Hic cū pro anni-
 verſaria religione, Paſchalia, unā cum familia cele-
 braret in *ſilunte*, ubi tum Oraculi Divini conſtitutum
 erat Tabernaculum; accidit, ut Annæ uxori, tam
 virtutibus diviti, quā liberis inopi, altera conjunx,
 eaque ſecundaria, *Phenenna* nomine (polygamis e-
 nim id temporis eſſe licebat) ſterilitatis probrum
 obijceret; ſeque cum filiis inter epulas ſacrificales

lu